per quoſcunque iudices Ordinarios, ſeu Delegatos in foro contentioſo, ac per quoſcunque Confeſſores ſuos in foro conſcientię, dum & quoties opus fuerit interpretari iudicari, & definiri debere. Ex Collectore Compendij. ver. Communicatio priuilegiorum. §. 18.

62 ¶ Idem Leo. 10. conceſſit Monialibus Ordinis Prædicatorum omnia priuilegia conceſſa, & concedenda Ordini Minorum, Eremitarum Sancti Auguſtini, Carmelitarum, Seruorum Beatę Marię, ac Minimorũ Fratrum Ordinibus, vt ſupra viſum eſt. num. 3.

¶ Leo 10. conceſſit, ꝙ Moniales Sancti Auguſtini eiſdem prorſus fruerentur priuilegijs, & gratijs quibus Religioſi eiuſdem Ordinis fruuntur, & gaudent. Vide ſupra. numer. 42.

PRIVILEGIA QVIBVS OMNES ORdines *Mendicantes communicant in priuilegijs.*

63 ¶ Leo. 10. Motu proprio et ex certa ſcientia approbauit et innouauit & confirmauit, ac plenum firmitatis robur obtinere,